



1) S
2) C
3) Q
4) B
5) Z
6) G



In hoc volumine continentur Disputationes sequentes.

- 1) Strangig de ululatu in sacris munibvs. b.3
- 2) de sacris gentium in mortibus Freybor. b.4.
- 3) Dohring de igne gentilium factis in sacraribz sacra impurio. b.5.
- 4) Blun de Archiposoporum gentilium. b.2.
- 5) Berger de ecclesia Scottorum et cypriani Officis b.5.
- 6) Gebhardi de gog et magog. b.3.



61.

בשׁת

DISPVATATIO PHILOLOGICA,
De

כוס הימה והחרשלה

Sive

IRAE ET TREMORIS CALICE,

Quam

Ad illustrandum Jesa.LI, 17.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO;
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,

PRINCIPE REGIO ET ELECTORATVS
SAXONICI HEREDE,

SVB PRAESIDIO

IOANNIS CHRISTOPHORI VVICHHMANNSHAVSEN,

Linguarum Orientalium Prof. Publ. Facult. Philos.
Senioris, & h. t. Decani,

Ad Diem X. Februarii, eis I CC XIV.

Publice defendendam suscipit

PETRVS VVOELDIKE,

Hatterslebia-Cimber.

VITEMBERGAE,

EX OFFICINA CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYPogr.



I.

Enebris, plus quam Cimmeris,
non hodie tantum, sed olim
quoque Iudacorum immer-
sae fuerunt mentes, quum
ad tot, manifesta non minus,
quam gravia, Prophetarum, ἀγ-
γεώπων ὑπὸ πνεύματος ἀγίας Φρε-
μενον, oracula oculos non ape-
rire, sed praefracte potius claudere, imo tantopere
caligare potuerint, ut sumnum Numén jure, me-
ritoque, de eorundem stupiditate subinde fuerit con-
questum. Utut enim calamitates, eorundem cer-
vicibus imminentes, non solum verbis, sed etiam si-
gnis atque typis, roties, quoties, sub vario orationis
schemate, praedixerint Prophetae, eosque, ut per se-
riam poenitentiam has declinarent clades, excitave-
rint, nihilominus tamen, Phrygum, qui plagiis demum
emendabantur, exemplum fecuti, in suis pertinaci-
ter moribus perseverabant. Quot enim, quae so!
et quanta, extant vaticinia, in quibus Dominus per-

A 2

fidei

(4)

fideles suos ministros πανελθόντες istam Hierosolymitanam, et, quae integros LXX annos duravit, captivitatem disertis praenunciari verbis curavit! In his autem omnium maxime illud notaru videtur dignum, quod penes JESAIAM Cap. LI, 17. occurrit, ubi Prophetæ, eleganti quadam allegoria usus, totalem urbem Hierosolymorum ruinam perversæ Iudeorum genti ob oculos ponit. Quare cum in praesenti hoc oraculum pro virili interpretandum nobis sumserimus, Deum precamur immortalem, ut suo nos fulciat praefidio, viresque per Clementer largiatur, quo totum hoc negotium rite expedire queamus.

II.

Ut autem literalis oraculi nostri sensus cuilibet pateat, integrum istud ex fontibus et versionibus antiquioribus oculis L. B. subjiciemus.

Textus Ebraicus.

הַתְּעוּרִי הַתְּעוּרִי קָמֵי יְרוּשָׁלָם אֲשֶׁר שְׁתִית
פָּנֵד יְהוָה אֶת-כֹּסֶף חֲמִתָּו אֶת-קְבֻעָתָו כֹּסֶף חֲמִתָּו
שְׁתִית בְּצִוָּת:

Targum Ionathan.

אַתְּרֵבָא אַתְּרֵבָא קָמֵי יְרוּשָׁלָם לְקַבְּלָתָן קָדֵס
וְיֵת כְּסָא דְּהַמְּתִיחָה וְתִּמְלִיכָה כְּסָא דְּלֹוטָה שְׁתִית
אַשְׁרָת:

Versio

Versio Syriaca.

Versio Arabica.

الْمُسَنَّدُ إِلَيْهِ كُلُّ شَيْءٍ مُّعْتَدِلٍ وَمُبَرِّئٍ مُّبَرِّئٍ

Versio Graeca LXX. Interp.

Ἐξεγέρεις, Ἐξεγέρσις, ἀνάσηδι Ιερόσυλημ, ἡ περσαὶ εἰς χειρὸς ποιεῖ τὸ ποτήριον τῆς θυμῆς ἀντεῖ. τὸ ποτήριον γαρ τῆς πλώσεως, τὸ κόνδυν τῆς θυμῆς ἐξέπιες καὶ ἐξηγέρωσας.

Versio Vulgata Latina.

*Elevare, elevare, consurge Jerusalem, quae
bibisti de manu Domini calicem irae ejus: us-
que ad fundum calicis soporis bibisti, & potasti
usque ad facies.*

Ne vero extra oleas, quod dicitur, vagemur,
 sed bonae leges methodi obseruemus, atque adeo
 instituto nostro eo pressius inhaereamus, sub examen
 in primis revocanda hic a nobis erunt verba כָּס חַמְתָּה
 תְּרֻבָּה. Inter haec nativo, quo se ista nobis objici-
 unt, ordine, primum locum occupat בָּטָה, quae vox, ex
 accuratiorum Criticorum mente, a סְכָם cumerare, sup-
 putare, originem suam arcescit. GUSSETIUS sane in
Comment. Ling. Ebr. p. 393. sententiae huic ita subscri-
 bit, ut contra alios, qui in diversa abeunt, et a
 סְכָם deducunt, eandem mordicitus propugnet. Ar-
 fidet vero in primis haec ipsi derivatio, quoniam סְכָם
 non dicatur de mensuranda quantitate continua, aut
 confuse sumpta, sed de discrera actu. Hinc enim pa-
 lam esse, quod סְכָם poculum non a capacitate
 suae mensura, uni haustui sufficiente, ita appelletur,
 sed ab haustuum dinumeratione inter convivas, ut
 quisque tantudem sumeret, quantum ex legibus
 comportionis sibi fuerit adjudicatum. Ad illum
 itaque, ut Guffetius putat, usum haec olim vasa po-
 tissimum destinata fuerunt, ut tantum vini, potusque,
 istis infunderetur, quantum iu legibus compositio-
 nis, pro temporum, et gentium variarum, conve-
 tudine, cuique erat dimensum. Mos equidem iste
 inter Ethnicos usitatissimus erat, ut in conviviis suis,
Praefectum, quem βασιλέα vocabant, eligerent, qui
 reliquis omnibus praesideret, et decreta convivialia,
 quae illi νόμος nuncupabant, praescriberet. Hunc *Latini*
MODIPERATOREM dictum fuisse, i. e. quasi modum
 imperantem, ne quis videlicet debitam in bibendo
 measu-

• (7.) •

mensuram vel excederet, vel etiam negligere.
VARRO tradit apud Nonnum. PLUTARCHUS in
Συμποσιαῖν β.βλ. α, προθλημ. θ, hunc morem expli-
cans, introducit seipsum, συμποσιαχδε φανοφοράτα,
& multa de hoc ritu disputat. Neque etiam apud
solos mos iste viguit Graecos, sed apud Romanos quo-
que invaluerat, id quod Poeta Venusinus Od. IV. L. I.
sequentem in modum canens, diserte adstruit:

Quo (in regna Plutonia) simul mearis
Non regna vini sortiere talis.

i. e. Convivii Rex forte non eris, nec unicuique sua
dinumerabis pocula. Hunc vero perversum morem
atque consverudinem, cum aliis ineptiis, et nugis,
quam plurimis, obtinuisse quoque penes *Judaeos*, de-
monstrare in primis satagit idem GUSSETIUS,
in *Comment. L. E.* p. 194. a. Cujus ut rei fidem
faciat, provocat ad dinterimationem poculorum, *Eg.*
LXVI. 17. recensitam, ubi epulæ idololatricæ in hor-
tis describuntur, & haec inseruntur verba: *אָזֶן*
post unum qui est in medio, quasi sedeat
in medio, tanquam rex vini, & singuli convivæ
ad ejus exemplum, & imperium, bibere debeant,
ac caeteras convivi parres exequi. Atque his qui-
dem suppositis, *וְזֹה* istiusmodi poculi, sive cali-
cis, genus erat, quo singulis olim, in familia, aut
convivio quocunque, constitutis personis potus por-
tionem veteres mensurabant atque definiebant.

IV.

Planum insuper & omnem extra controversi-

am

am possum esse videtur, quod *poculum*, sive *calix*,
 apud *Ebraeos* nuncupatus, amplioris capacita-
 tis fuerit, eo, quod in plerisque Scripturae locis,
 ubi de magna quadam agitur mensura, eadem haec
 notio frequenter adhibetur. Ut enim praesens,
 cuius interpretatio nos detinet, oraculum, tantisper
 seponamus, *Jeremias* sane *Cap. XXV, 15.* ubi de ira Dei,
 quae magna ominino est super improbos, loquitur,
 idem hoc vocabulum, sub phraseologia,
 usurpat, item *Cap. XXXV, 5.* ubi de *Rechabitibus* ipsi
 sermo est, quibus *סְלָאֵת* יְהֹוָה וּכְסָתָם גְּבֻשׁ מִנְחָה pro-
 pinat. Per *גְּבֻשׁ* enim, hoc quidem loco, *calices*,
 sive *pocula* τοῦ, *κόστοις* minora, intelligi, ipse ver-
 borum nexus, atque ordo, nos edoceat. Interim cum omnia haec meritis innitantur conjecturis,
 cuiilibet per nos integrum sit, ut sententiae,
 quam maxime probabilem esse existimat, hanc in parte
 subscibat. *Gracci* sane genuinam hujus vocabuli in-
 dolem non asscuti videntur, quando illud per τὸ ποτή-
 ριον, quod ex πίνω descendit, exponunt, siquidem, ex isto-
 rum mente, *κύν* in genere istiusmodi tantum *va-*
sculum, sive *instrumentum*, ex quo *bibi potest*, &
 quale *Cyathus*, *Calix*, sive *urceus*, denotaret. Derivatur
 enim *poculum* à *potando*, eo, quod ποτήριον quasi
 τὸν πόσιν τηγεῖν, quod *porum* contineat, nuncupatur.
 Penitus rem introspexisse uidetur *Arabs*, quando
 per *جَهْنَمَ*, iisdem fere servatis literis, authenti-
 cum reddit, siquidem, ut *GOLIUS* in *Lexico*
 habet, vox ista *pateram magnam*, eandemque,
 vel *fistilem*, vel *ligneam*, designat. Firmat qua-
 dantenus nostrum hoc assertum ipsa *poculi*, sive
cali-

(9.)

calicis, forma, quae, ut laudatus *Guffetius*, ad 1. Reg. VII, 26, provocans, asseverat, שׁוֹשָׁן פְּרַדְתִּי, sive o-
pus lili, vel, ut alii volunt, rotunda, in morem rosae
germinantis, fuit. Cum vero ex hujusmodi formae po-
culis minus commode hauriri potuerit, ad eum po-
tius usum usurpata ista fuisse probabile est, ut in
alia quaedam vascula vina ex iisdem dispensarentur.
Accedit, quod in oraculo hoc Jesaiō dicitur insuper
adstruatur, quod ex כָּסֶף יְהוָה Judaei quoque fae-
ces haurire debuerint. Cum enim tales in exiguis
poculis remanere non soleant, vero obvium est, ut
credamus, nomen hoc non, nisi de majoribus pocu-
lis, accipiendum esse. Nec sicco prorsus pede pree-
termittenda hic est Rabbinorum allusio, quando sci-
licet vocem כָּסֶף & כְּסֵף ex eadem Radice de-
rivant, & hoc vel eam porissimum ob causam, quod
Prov. XXIII, 31. in locum כְּרֵב, quod habet,
marginalis lectio, quam קָרְבָּא vocant, substitu-
at. Rationem facti si requiras, commodiorem vix
ullam suppeditari forsitan posse existimat, quam
quod capo hospitem, בְּבַיִס, in poculo, avidos volven-
tem oculos, conspiciens, suos quoque, בְּבַיִס, in loculo
hujus, constanter verset, defigatque, utpote nummo-
rum, quos hospes conclusos ibidem habet, cupidissi-
mus. Et hanc quidem conjecturam, si recte
judicamus, Rabbinorum dicterium: בְּבַיִס, בְּכֻסָּה,
in loculo, poculo, & oculo, optime scilicet animus ho-
minis cognoscitur, ad prime firmare videtur.

V.

Non unius autem, sed varii, generis, quorum
B in scri-

in Scripturis fit mentio, *calices, sive pocula*, per quae Metonymice vina, in poculis contenta, denotantur, extitisse, praeter *Hammondum, Drusum*, in h. I. *FLACIUS, ILLYRICUS*, in *Clave Scripturae* & alii, certam adnotant. Sic (1) כוס – וְשׁוּעָתָה, *calicem salutarem, sive salutum* Pl. CXVI, 13. nobis fistit, *David*, ubilae-
tus eundem elevat. Convivium enim quasi celebratu-
rus, dicere vult: *Attollam vini calicem gratias Deo, pro fa-
tate mibi concessa, publice agens.* Respiciebat iste du-
bio procul ad morem in populo *Judaico* usitatum,
vi cuius gravi aliqua calamitate, aut periculo, libera-
ti, post victimas oblatas, sacra, in quibus gratiae Deo
agebantur, convivia celebrare solebant. (2) כות
בְּכֹתֶב חִנּוּמִים *Consolationis calicem ex Jer. XVI, 7.*
communiter elicunt *Critici*, qualis oppressis, ac
summa aegritudine, velut magna quadam tempe-
state, plurimum concussis, eam potissimum ob caus-
sam, ut aerumnarum suarum nonnihil oblivisceren-
tur, propinabatur. (3) *Lactitiae calicem*, qui calamita-
tum fluctibus ereptis, ad bibendum destinabatur, suo
nobis exemplo, denuo repreäsentat *David*, quando
exuberantem, quam Deus ipsi praefiterat, gra-
tiam per כות וְזַהֲהָה Pl. XXIII, 5. eleganter, atque
adprime, depingit. Infinuat enim per haec verba,
Israelitarum Rex plentissimus nihil aliud, quam quod
Deus non tantum, quae ad victimum & amictum
necessaria videri poterant, sibi tribuerit, sed quod ista
etiam, quae ad splendorem & delicias pertinebant,
largiter & copiose suppeditaverit. Restat (4) *Tribu-
lationis, Crucis & Angustiae*, *calix*, qui pro crucis varie-
tate, & ipse varius est. Quemodmodum itaque (α)
crux

crux Christi salutaris, in qua gloriamur, (3) crux
piorum, quam exosculamur (γ), crux impiorum,
quam execramur, datur; ita, ut totidem quoque
crucis calices fingamus, necessum est. In primis ve-
ro hoc referendus est Tribulationis Calix, qui piis,
aeque atque impiis, & istis quidem ad emendatio-
nem, his vero ad poenas & exitium, objicitur. E-
leganter eundem hunc nobis depingit Psaltes, quan-
do, *Ps. LXXXV, 9.* enunciat, quod מִלְאָכֵל, ex
quo בַּיּוֹתָה מֶלֶא כְּלָיָה, poculum, sive calix, qui sit in
manu Domini, plenus misericordia, ut omnes peccatares terrae ex i-
usto habant. Sistitur enim ibi Deus, ex una parte, amplum
calicem vini, meri ac rubentis, probe tamen a-
qua diluti, manu tenens, ex eoque liquidius, ac di-
lucidius, vinum suis propinans; ex altera vero parte
impios ad epotandas, atque deglutiendas, calicis
faeces, non sine horrore, adigens. Significatur vero
hac imagine, ut bene adnotant Interpretes, De-
um bona quidem suis largiri, multis tamen adver-
sis temperata, ne videlicet prosperitate diffuentes,
luxuriaque, & lascivia, ebrii corrumpantur: con-
tra vero horrenda mala, quotiescumque visum sit,
impiis immittere. Verbo, כָּסֵף Ebraicum, cui Hel-
lenistarum νοτίγειον quadanterus respondet, sortem pro-
speram, aut improsporam, quae, Deo inspectante, aut me-
derante, cuique obtingit: in primis vero crucem, fin-
gulis fidelibus distributam, & impertitam, indigitat.

VI.

Ut vero proprius calicem, quo de hic loco
corum agitur, nobis delineet Propheta, statim isti

subiungit vocem **הָרָה** & cum i suffixo ; pers. S. m. **הָרָה**
 Hanc vero licet omnes per fervorem irae communiter interpretentur, non parum tamen, si ad incunabula & fontes istius attendas, a se invicem discrepant. Alii enim ad **הָרָה**, quod simpliciter calere, incalescere, calidum esse; alii vero ad **הָרָה**, quod fervore venereo, sive libidine, calefere, hoc est, coire, concipere, significat, hac in parte confugunt. Qui pro priori radice, **הָרָה**, pronunciant, illud potissimum urgent, quod **הָרָה** & in statu constructionis, vel afflitionis, **תְּמִימָה**, Gen. XXVII, 44, & in aliis quamplurimi Scripturae locis, *iram*, atque *incandescentiam*, designet. Cum autem ira in calore, & in effervescentis sanguinis aestu, ut Medici in scholis suis docent, constat, ut credamus, pronom esse, concludunt, non, nisi ex **הָרָה** vel **תְּמִימָה**, utpote quod *calorem*, *ex quavis causa*, etiam *ex commotione animi*, ortum, indigit, vocem hanc derivandam esse. Ipsi eriam Graeci frigidam sententiae huic suffundere videntur, quando, in locum τῆς θυεῖας, θυεῖα notionem substituant, cui *ira*, & *indignationis*, significatus similiter tribuitur, licet non raro etiam per *animum* reddatur. Priori sensu passim apud profanos auctores, Homerum, Homericum, alias, reperitur, imo in ipso N. T. loca praestato sunt non pauca, quae eundem potissimum fibi met vendicant. Praeterquam enim, quod Epb. IV, 31. & Col. III, 8. Beza, Erasmus, alii, vocem θυεῖαν per *iram*, et *indignationem*, exponant, merito, & in primis in phraseologia, Luc. IV, 28. occurrente: Επληθήτω περὶ τοῦ θυεῖας οἱ ἀστός, voculam θυεῖαν alter reddi nec posse, nec debere, existimat. Eta-

gans

(13.)

gans sane est, quam *Eusebius* in subsidium hic vocat, etymi ratio, quando θυμός, quasi θύειν, motu ventem, excitantem sanguinem, quod, in ira in primis fieri, *Physici* docent, ex θεραπείᾳ & τοάqua, deducendum esse hariolatur. Cum *Graecis* et hic apte componi possunt *Latini*, siquidem non *Horatius* tantum, quando de ira loquitur, subinde exclamat: *Animum rege!* sed *CICERO* quoque, in fastis suis, hoc vocis significatu, vice haud simplici, delectatur. Constat hoc in primis ex *Oratione in Verrem*, ubi ita virum hunc alloquitur: *Civitatem, ut abs Te affecta sit, ita in Te animatam videmus.* Succinit his quadam tenus: *VIRGILIUS, Georg. Libr. II.v. 446.* ita canens:

Quos animosi Euri assidue franguntque feruntque.

Quomodo vero θυμός ab ὄγκῃ praecise differat, de eo SUIDAS in Lex. p. m. 1336. eum in modum differit, ut θυμὸς iram citam, subit aneam, & ad exiguum tempus durantem, ὄγκην vero, sive iracundiam, tardiorē quidem esse, sed diuturniorem insimul, pronunciet, adeo, ut θυμὸς ὄγκης, ira iracundiae, nihil aliud sit, quam ipsa diuturna pena, supplicium permanens, atque diuturnum.

Eodem significatu cum θυμῷ incedit vox *IQ.* *quām* *Syri* hic adhibent, siquidem, ut *CAROLUS de SCHAFF*, in Lexico docet, nativa sua indole nihil aliud, quam iram, fervorem, atque indignationem, nobis subministrat.

VII.

Licet igitur per hac tenus dicta satis evictum.

B 3

fit,

sit, quod **נַפְתָּח**, cui Syrorum **לִבְנָה**, Graecorum **θυμός**,
 & Latinorum **ANIMUS**, quatenus pro **ira**, & **indignatione**, accipitur, respondent, imprimis si ad ejus at-
 tendas significatum, a **נַפְתָּח** haud incongrue deri-
 vari queat, non pauci tamen reperti sunt, qui, origi-
 nes ejus ab alio themate repetendas esse, existima-
 rent. Sed ut, quod res est, ingenue fateamur, ob-
 stat illis, communis Nominum àverbis medium ge-
 minantibus derivatorum, *Analogia Grammatica*, vi
 cuius in nominibus istiusmodi, media abjecta, voce
 in fine crescente, in ultima residua, per Dages forte
 compensatur. Quale quid in **חַמָּה** *Chamma*, **סֶלֶךְ** *Sol*, cu-
 jus origo **נַפְתָּח** est, quive ab *Ethnici*, eam ob causam,
Jupiter Hammon, vel *Hammonius*, à *calefaciendo*,
 vocabatur, & a quo, tanquam certissima originatio-
 ne, **חַמְנוֹן**, *Chammanim*, *Solis simulacra*, Ebraice nun-
 cupata fuerunt, videre est. Magis itaque se nobis
 probat eorum sententia, qui, **נַפְתָּח** Radice in sub-
 fidium hic evocata, nomen **נַפְתָּח** per *aphaeresin* τε
 (†) ex eadem illa ortum suum traxisse existimant.
 Neque vero asserto huic quicquam officiunt *Sacrae*
Scripturae oracula, in quibus notio **נַפְתָּח** de *calore*,
venereo usurpatur. Ita enim occurrit Gen. XXX,
 41. XXXI, 10. ubi de ovis *Jacobi*, super bacillis in-
 calscentibus, vox **נַפְתָּח** adhibita reperitur, ut & c.
 XXX, v. 38, ubi vox **נַפְתָּח**, quam, pro **נַפְתָּח**, *אֲזֹעָה*,
 positam esse *DRUSIUS* in *Notis Majoribus*, eruditus con-
 jicit, eodem in significatu, quem *HIERONYMUS*, in
Quæstionibus per verba: **נַפְתָּח** proprie dicitur *extremus* in *cōcūlo calor*, quo *corpus omne* concutitur, &
 patran-

patranti voluptati vicinus est finis, exprimit, similiter
 usurpatur. Quanquam enim nos, cum MVNSTER-
 RO ad Gen. XXX, 41, plane non inficiemur, quod
 וְאַתָּה, in sensu speciali, idem sit, atque libidine in-
 calefcere, vel concipere, quem in modum etiam Ps.LI,7.
 Et in peccato וְאַתָּה, concepit me, mater, accipi in primis
 debet; cum eodem tamen infimul tuto asseveramus,
 quod וְאַתָּה proprio sit incalefcere, quo cunque
 tandem paecto id accidat. Atque hinc etiam factum
 est, quod ipsum non, vel חַדֵּשׁ nostrum, venenum quo-
 que significet, quandoquidem illud perpetuum quasi
 comitem calorem habeat. Facit huc in primis v. 5.
 Ps. LVII, cuius hebreichium prius ita habet:
 וְאַתָּה לֹמֵד כִּרְמוֹת חַדֵּשׁ. Ut ut enim in diversa
 hic abeant Interpretes, dum non pauci וְאַתָּה per
 furorem exponunt, propterea, quod & in hoc, &
 in seq. v. obfirmatae malitia, et veterotiae calli-
 ditatis, reperiatur descriptio; Chaldaeus tamen, Ra-
 sebi, Ezra, Kimchi, atque alii, haud incongrue, ut pu-
 ramus, vocem, hoc potissimum in loco, per ve-
 nenum reddi posse, statuminant. Nec sane video, quid
 impedit, quominus indignationem, & venenum, quod
 uredine, & aestu animantis vitalia absumit, וְאַתָּה in-
 digitare hic possit, cum & haec significatio serpentis,
 & aspidis, similitudini aptissime conveniat, & ab hosti-
 bus non secus exitium, quam praesens serpentis ve-
 nenum, immineat. Praeterea quoque non est quod du-
 bitemus, quin idem posterior significatus, ut hoc in
 loco, ita & Deut. XXXII, 35, ubi וְאַתָּה & וְאַנְתָּה vocabula
 occurunt, obtineat, siquidem prius istiusmodi pro-
 prie venenum, quod ore naribus serpentes effant; po-
 sterius

sterius vero, quod serpentum, aut aspidum, capitibus, atque dentibus, ineſt, denotat, GROTIUS sane, aliique, Apoc. XIV, 8. οἶνος θυμός, viñm irae, per viñum venenatum, viñum, veneno, vel pharmaco, quod stuporem conciliat, mixtum, ſimiliter interpretantur. Jam diuidum enim obſervarunt eruditii, quod quatuor vox Ebraica, in Veteri Teſtamento, duo, vel plura, habeat significata, una ex vocibus Graecis, quae iſti respondet, totidem, apud Interpretates, in Novo etiam, significations ſibimet adpropriet. Ita, quia חַרְבָּה, iram, & venenum, apud Ebraeos significat, θυμός quoque, quod iram tantum apud Graecos alias indicabat, Ebraeis, Graece loquentibus, venenum aliquando designabat.

VIII.

Vehementiam vero, & gravitatem, irae diuinae ut majori quadam cum emphasi, *Judeis*, in captivitatem Babyloniam abducendis, Prophetas delineat, τοῖς כֹּס חַמְתָּו, novam exitiosi hujus calicis descriptionem, per τὰ ἡρεύλατα, statim ſubjungit. Senes LXX Graeci τὸ θηρυύλη, instar τῷ πόμη per θυμός vertentes, plane hic obdormivisse videri poterant, niſi notionem τοῦ, quam antea per ποτήριον exprefſerant, hic per τῷ reddidiffent. Statim vero hic notamus, quod ZACHARIAS Cap. XII, 2. idem forſan hoc poculum τῷ nuncupet, eo, quod a τῷ, fiat Νεβ, i. e. σίφα vel σιπφα, σιφος, vel etiam σιπφος, Scyphus, magnaue adeo inter voces haſce intercedat cognatio. Si KIMCHIO fides habenda eſt, non de SCYPHO tantum, ſed de aliis quoque ueris variis, atque domesticis, vox haec usurpatur,

tar. Ita enim per נַרְבָּה subinde reddit JONA THAN,
ut ut ONKELOSUS per notionem hanc *Chaldaicam*,
vocabulum נַרְבָּה, quod *vas aquarium* est, quandoque in-
terpretetur. GRÆCI ad טְבִים postes, nimis curiose for-
san, attendentes, *Ebraicum* per οὐρανόν, (vel, si mavis,
υπέρθυγα) VULGATUS vero per superliminare, quod
חֲדָשָׁה vel כְּפֹרֶת alias designat, sensu, ut con-
textus docet, parum commodo, reddunt. LXX *In-
terpretes*, postquam τὸ βῶμον, in oraculo nostro dupli-
cī vice positum, & ipsi utrobique per ποτήριον expre-
serant, cum hoc tertia vice hic repetendum fuisset,
in locum eius τὸ κύνδυνον vocabulum, ut supra mo-
nuimus, substituunt, quod ipsum, si SUIDÆ in Lexi-
co p. 1493. fides habenda, nihil aliud, quam ποτήριον
significat. Quemadmodum vero SCHREVELIUS
ipsum hanc notionem ad Persicas reducendam esse au-
tumat, ita Cymbrica inter pocula τὸ κύνδυνον olim relatum
fuisse HESYCHIUS existimat. Apud AEGYPTIOS quo-
que pocula istiusmodi nec peregrina prorsus, nec
inuisita, fuisse, vel solius NICOMACHI permovere
nos poterat auctoritas, quando, in *Festorum Aegyptiacorum*
descriptione, hujus quoque mentionem poculi
injicit. Loquatur etiam pro nobis hic ATHENAE-
US, utpote qui *Deipnosoph.* Libr. XI. cap. VIII. ex Pan-
crate hoc de argumento ita canit :

Αυτὰς, ὅγε σπέσταις ἐν νόνδυος ἀργυροφέοιο
Νέντας, ἐπ' ἀλοδαπήν οἷμον ἐβάνε πόδα.
Utrum vero ista poculi species, quae κύνδυνον olim di-
cta fuit, cum Persici vestimenti genere, quod Condyn
incolae nuncupabant, componi quodammodo, ei-
demque

demique assimilari queat, de eo non disceptamus, sed strictum potius monemus, quod *κονδυλία* in *Vita MS.*
S. Andreæ Sali, ut *Du FRESNE* in *Gloss. Graecitatis* p. 702. observat, idem sit, ac *κόνδυλος*. Discedit autem ab hac sententia *Mazarinus Codex*, quando hujus loco *συμπλέκεται*, manum conserere, forsan quod nimius poculorum usus, vel potius abusus, turbas istiusmodi progignere soleat, usurpat. Sed quomodo cuncte tandem omnia haec se habeant, observatione in primis dignum est, quod in arcana literis, *calix*, aut *poculum*, portionem, sive boni, sive mali, cuique a Deo attributam, significet. Haud obscura quoque in ipso Gentilismo hujus rei reperimus vestigia, siquidem *HOMERO* teste,

Δοοὶ γιγῶσι Διός γέδει
Dolia duo in Jovis limine,
 reperiebantur.

IX.

Quemadmodum autem prius poculum *irae* erat, et *excandesciae*, ita, quod sequitur, nuncupatur. Absque in articuli, quod regulariter hic per patach, sequente dages forti, praefigitur, nomen esset *תְּרֻעָלָה*, cuius origines verbum רַעַל loco motus fuit, tremuit, contremuit, nutavit, impedit, lapsu consternatus, debilitatus, labefactatus fuit, nobis suppeditat. Adeoque *תְּרֻעָלָה*, hac ratione, foret proprie poculum tremoris, *ذَلِكَ مُكَبَّلٌ*, ut *Arabs* habet, poculum lapsus, prolapsus, consternationis, debilitationis, atque labefactionis, *(ذَلِكَ مُكَبَّلٌ*

cccii

cecidit, sive potius potatum, tremorem, lapsum,
 & consernationem, efficiens. Et hoc sine dubio
 in causa fuit, cur penes Zachariam רְאֵת הַרְעֵלָה שֶׁבֶר,
 per calicem ebrietatis, cui describendae notio
 alias inservit, expresserit SANTES, cum ebrietas ef-
 fectuum, supra memoratorum, infelix quasi mater
 existat. Hoc vero dum adstruimus, nimiam isto-
 rum tantisper deserimus curiositateim, qui, רְאֵת
 positum esse, contendunt, eo, quod haec literae
 facile alternent, & veteres similiter Cassila, pro Cas-
 sida, ducrymas pro lacrymis, cadamitatem pro calamiti-
 tate, ἐλάφον pro ἐλάφῳ subinde usurpaverint, maxime
 cum ex communi Lexicographorum sententia, ipsum
 quoque רְאֵת eum, quem indicavimus, significatum
 sibimet vendicet. Ex Ebraeorum interim mente,
 in *veneni*, quod סִנְתָּה vocant, significatione
 Radix communiter usurpatur, adeo, ut eundem quo-
 que sensum וְרְאֵת certatim attribuant. Sic quan-
 do Nab. II, 4. סִנְתָּה וְרְאֵת verba occurunt,
 missa alioquin recepta interpretatione, Et abie-
 tes concusse fuerunt, de vi & indole vocis non
 aliter judicant, quam quod lignum pro lignea cu-
 stodia, telis scilicet, & lancearum cuspidibus, accipi-
 endum sit, atque adeo de his enuncietur, quod ve-
 neno oblitiae quasi, & imbutae, fuerint. Nec sane
 omnino inepta videtur vocis haec explicatio, post-
 quam, ut Physici docent, inter venena istiusmodi
 quoque reperiuntur, quae frigida sunt, & propterea
 tremorem facile efficiunt. Poterat itaque כָּסָר
 h. l. per Metonymiam continentis pro re contenta,
 pro יְמִין, sive ipso vino, accipi, ita quidem, ut per

מֹת וַתְּרִיעָת, nihil aliud, quam haustus vini vene-
nati, in poculo contenti, indigitaretur. Hujus inter-
pretamenti patrocinium ē *Judaicis Doctoribus* in se-
lusccepit KIMCHIVS, utpote qui *כָּס וַתְּרִיעָת* voces
per *סֵם מֹת רֵד בְּגַלְתָּה כִּבְרָתָה* i. e. *aroma*
mortis, quod in *captivitate isti* (populo Israelitico)
fit hauriendum, interpretatur, quasi scilicet, in no-
stro etiam hoc loco, potus vini, optime conditi, qui
reis, ultimo supplicio afficiendis, non olim tantum
porrigebatur, sed & hodienum quandoque porrigi
solet, in primis intelligendus sit. At enim vero
cum talis calix consolationi in agis, quam dolori pro-
creando, infervire debeat, nullam prorsus videmus
causam, ob quam commentum istud de dolorifi-
co calice ad textum nostrum applicari queat. Hinc
reperti sunt, qui per *crapulam* vocem exponere ma-
luerunt, quasi scilicet calix hic *noster calix sit temu-*
tentiae, sive, ut *Vulgatus Latinus* habet, *Soporis*, quem
temulentia efficit. Et ad horum quidem classem in-
primis referendus est RASCHI, suam hoc super nego-
tiorio sententiam ita informans : *טְשִׁקָּה* המטמתט
וּמְטִישׁ כֵּחַ הַאֲרוֹבָּה נְשָׂדָה וּקְשָׂרָה וּמְעוֹתָךְ :
Est
potus extirpans et accudens vires hominis, ut
sit (hic ipse) quasi *vinellus*, *ligatus* & *obtectus*. Ita
vero, et non aliter, rem se habere, optime, proh dolor ! norunt frequentiores calicum remiges, qui,
plusquam *Sybaritico* more, per plateas incidentes, non
nutare tantum, & tremere, sed ab uno quoque la-
tere ad alterum, ut pedibus vix insistere queant,
vacillare solent. Quod autem vox, *tremoris*
ebrietatis & *temulentiae* index, & hic, & alibi loco-
rum

• (21.) •

rum, in sensu non proprio, sed Metaphorico, sub-
inde accipienda sit, vel inde firmiter conjici poterat,
quod de Hierosolymis, com. 21. in sequente, Prophetæ
diserte adstruat, וְלֹא מִן־שָׁכֶר וְלֹא מִן־ebriam (urbem
scilicet istam esse) sed absque vino; & suprac. XXIX, 9.
שָׁכֶר וְלֹא־יָדוּנָה וְלֹא שָׁכֶר
de Hierosolymorum incolis: Ebrios (istos esse) absque vino, vacillare absque sacer.
Neque etiam five Graecos, five Latinos, evolvamus
auctores, infrequens apud eos loquendi haec estra-
tio, quandoquidem utriusque ebrietatis, tam ex se-
cunda, quam ex adversa fortuna, ortae, documen-
ta non pauca nobis suppeditant. Praeter Poetam
NONNUM enim, qui de Cerere sequentia habet:

ΠερσεΦόνης μεθίσται μελήθον
OPPIANUS quoque, de balaena loquens, L.V. ita canit:

- - - - οὐτ' ἐξ ὀδυνάω
Θῆρα ὀλοὸς μεθύ.

Addimus his BASILIUM, cuius in Orat. I. de Jejunio,
sermo inter alia hoc reddit: οὐαὶ μεθη ἐστι τῆς ψυχῆς,
ἐνθεοῦσα δύνη ποιῶν αἰσ ὀσμῶν: item PLUTARCHUM
Sympoſ. L. VII. c. 10. in haec erumpentem: Κοινῷ
τοι μεθὴ τῶν ἀπαιδεύτων ψυχᾶς ἐνοικεῖ ὑπὸ σφύγης ἡ δυσ-
μενίας ἡ φιλοσενίας &c. Neque etiam HÖRATIUM
haec loquendi ratio fugit, sed, de Cleopatra scribens,
Od. XXXVII. L. I. judicium suum super eadem per
sequentia informat:

quodlibet impotens
Sperabat, fortunaque dulci ebria.
G 3 Quare,

Quare, ut ad institutum revertamur, in istud *Prophetas* summopere, & cum cura, incumbit, ut miseras, aerumnasque, acerbissimas, quae *Israëlis* imminebant, commoda quadam & ab ebriis, yinoque oppressis, de promta similitudine, vivis quasi coloribus, adumbret. Nec dispar loquendi est ratio in *Apoc.* c. XIV, 10, & c. XVI, 19. quando scriptor ibidem sacer admodum emphatice praenunciat impiis, quod sint aliquando bibituri *in τῷ οἴνῳ τῷ θυμῷ τῷ θεῷ κατοικίᾳ ἀνέστρε πτωχοῖς τῆς ὁργῆς* *durῆς*. Rationem ejus vero rei redditurus c. XIV, 8, dicit, id exinde eventurum esse, quod potatae fuerint omnes gentes *ἐν τῷ οἴνῳ τῷ θυμῷ τῆς πονηρίας, τῆς βαθύλόγου*, ubi per *vinum irae scortationis*, omnis generis vitia intelligit, & sigillatim idolatriam, quae dulcis quasi potus peccantibus est, quo & aliis, ne recto amplius incedant trahite, inebriantur. His & aliis haud dubie inductis rationibus, B. LUTHERUS, *כָּס תְּהִרְעַלְתָּה*, maxime cum *את קְבֻעָת* verba immediate cum ipsis connectenda sint, per *Taumelkelch*, apte quidem, ut putamus, interpretatus est. Evidem SYRUS, dum per *כְּסֵנֶת וְפְּלָא* mentem suam hic exprimit, parum lucis authentico affert, propterea quod & hoc in idiomate radix *כְּסֵנֶת* proprie nihil aliud significat, quam tremere, & nutare, ad quam tum *פְּלָא* contremiscentes, tum etiam *Ebr.* XII, 12. plurale femininum emphaticum *פְּלָאָת* *nutantia, labantia, scilicet genia, notiones reducendae sunt.* Plus subsidii ARABS forsan nobis suppeditat, quando in *תְּרִיעָה* locum.

לְבָנָה

Ex notione utitur. Haec enim uti uelut & primario ignem ignit abulis excussum, dehinc vero seruorem etiam, & calorem, abortum item, et foetum abortivum significat, ita caussas comparationis non paucas nobis subministrat, ob quas cum inebriante calice, sive poculo, commode componi queat. Sed, ut ad רעלת nostrum redeamus, dubio caret, quod רעלת, cuius mentionem similiter JESAIAS cap. III. v. 19. injicit, ad eandem cum priori familiam referendum sit, atque adeo ab ejusdem significatu multum participet. Quanquam enim inter Interpretes non desint, qui cum Chaldaeo (cuius נסנא est, pepla muliebria, vela faciei obducta, ne à Sole, ut BUXTORF. in Lex. Chalde. & Talmud. p. 796. habet, colorentur,) per velamina vocem interpretentur; sive etiam cum ARABE, cuius عصابة, est, per vittam, cidarim, frontale, & omne istud, quo caput religari solet, eandem vertant, aut cum VULGATÓ sigillatum ad mitras hic confugiant, generalis tamen omnium capitis istiusmodi integumentorum, atque ornamentorum, descriptio, cum nominis hujus Etymologia, non parum congruit. Verbum enim רע agitari hinc & inde, & vacillare instar ebrietatis, significat. Quia igitur fasciolae à capitum integumentis, sive mitris, dependentes, foliorum instar, ad quemlibet motum & levissimam auram, agitabantur, haec vox indita videtur esse mitris, aut muliebribus coronis, quae ad ornatum capitis adolescentularum adhibebantur, quasi temulas istas diceres, i. e. mitras sive coronas foliolis trementibus ornatas.

X. Prae-

Praeterea vero, & in primis quidem, quando ad irac,
ebrietatis, & tremoris, calicem, in quo describendo ha-
ctenus occupati fuimus, curiosius paullo attendimus,
istud observationem merebitur, quod iram divinam
Prophetatam gravem, & vehementem, futuram esse
subiunxit, ut ne minimam quidem eius portiuncu-
lam *Judaet*, hinc inde dispersi, deprecari, & à se
avertere queant. Non enim bibere tantum
ipsos hunc calicem oportebat, sed insuper
etiam קְבֻעָה, feces istius, sive sordida illa, et ex-
crementosa, quae in vasorum fundo subsidere solent,
deglutire. Radix nominis est שַׁבַּע, quam Lexicogra-
phi communiter per supplantare, calcaneo pessundare,
& Metaphorice per defraudare vertunt, cui & Grae-
corum κύβος, cubus, talus, taxillus, os prope calcaneum,
sive plantam, item κωβίων taxillis ludo, itemque κώβαξ,
versutus, veterator, suas debent origines. Effet ita-
que קְבֻעָה, vi etymi, nihil aliud, quam fex, quae in
fundo, ut AVENARIUS in Lexico habet, supplantata
est, & in imo subsidet. Hoc tamen loco id operae,
premium est annotare, quod vox קְבֻעָה in toto
Codice sacro, si ab hoc nostro Jesaiano ditesseris, in
quo semel iterumque deprehenditur, nullibi occur-
rat. Quae etiam causa est, quod eandem vel neglexe-
rint plane Interpretes, vel oscitantes, & parum com-
mode, transtulerint. Si Syrum evolvamus, ne γένει
de eadem extat. ARABS & LXX, quod mireris,
uti in antecedentibus, sic in hoc vocabulo, ita con-
sentient, ut alter ab altero propemodum descriptis-
fe

se videatur. Nam ille per γένεσιν τάξις, hic per τὸ ποτήριον τῆς πλώσεως, uterque per poculum lapsus, verit, ut adeo, nisi ratione idiomatis, nulla deprehendatur differentia. Insuper τὸς ζεύκτης, & τὸς θερυλλίας, & τὸς ζεύκτης, & τὸς θερυλλίας, repetita vice ambo, per cālicem irae, reddunt, & in eo tantum ab Arabe οἱ ἐβδομήνοτα differunt, quod loco τῷ ποτήρῳ, in ultimis verbis, τὸ οὐδὲ, utut reseodem recidat, substituant. Potuissent tamen hi ipsi τὸ κόμπητον, quemadmodum aliqui PS. LXXV, 9. τὸ σμερῶτον satis idonee vertere per vocabulum τρεψίας. Hoc enim, docente SUIDA, in Lex. p. 952. proprie fecem, in sacris autem literis Metaphorice supplicium, quod peccatoribus infligitur a Deo, denotat. Speciant huc in primis KIMCHI verba, quae ad locum nostrum ita se habent : בְּלֹתֹת כִּבְרֵר שְׁוֹתָה כָּסַת הַתְּרֻלָּה : עַד הַשְּׁמְרוֹת : Addi huic meretur RASCHI, qui hoc super negotio sequentia commentatur : לִי נְرָאָה : קְבוּעַת אָלוֹ השְׁמְרוֹת הַכְּבָעוֹת הַכְּלִיל וְמִצְתָּה : רָהּ עַלְיוֹ כִּמְתָה שְׁנָאָר שְׂרוֹת : וּמְזוֹ :

XI.

Pressius vero ut vates sacer institutum adhuc urgeat, actum ipsum, vina, & feces, calamitatis hauriendi, sub notione tam generali, quam etiam speciali, exprimit. Quod enim attinet ad שְׁתִיתָה, hoc esse secundam perf. Sing. fem. pro שְׁתִיתָה, positam, extruso nimirum וּ, ob incrementum Syllabicum, vel potius Syllabico affine, dubio caret, perinde uti constat inter omnes, quod Radix שְׁתָה nudum istum actum, quo quis poculum, sive potum, ori apponendo, bibit,

bit, indigitet. Eodem hoc vocabulo & CHALDAEUS & SYRUS, in *Paraphrasibus* suis tituntur, a quibus etiam LXX, & ARABS, parum recedunt, dum isti notissimum πνω, hic vero στρω suum, quod aquam bibere GOLIO in *Lexic.* p. 1266. propriè significat, hic adhibent. Majori tamen emphasi gaudet appositum verbum ΣΩΣΙ, ejusdem cum priori forma, atque adeo απειλη emulendo, vel exugendo, expressit, exuxit, derivandum. Ab hac vero Radice, quae cum ΣΩΣ, emunxit, maximam habet cognitionem, πύξω quoque, μυξάω, μυξίω, ἀμύξω, ἐμυξέω, fugo, exfugo, emulgeo, quod exprimendo fit, item μάστω, premo, & τιμάσσω, exprimo, Graeca propullulasse themata, nemno temere inficiabitur. *Syriacum* ΣΩΣ, utut similiter exugendi, educandi, et exprimendi, valorem habeat, nunc tamen, ut JO. BAPTISTA FERRARIUS, in *Nomenclat.* *Syriaco* refert, de sanguine usurpatum, cuius eportionem sive suelum ΣΩΣ vocabulum subministrat. Prae C H A L D A E O jure ac merito ARABS hic audieundus est, utpote cuius ΣΩΣΙν vasculum quoddam rotore proluere, non quoad elementa tantum cum ΣΩΣ Ebraico consiprat, sed & lucidam huic ipsi faciem, si ad significatum insuper attendas, praeferre videatur. Nullum enim afflictionis, miseriae, & calamitatum genus, in orbe existere debet, quod non persensuri erant *Israelitas* & in istiusmodi quidem doloris, atque cruciatuum, gradu, ut nihil prorsus eidem superaddi potuerit. Familiaris omnino scripro-

ptoribus quoque sacris Metaphorica illa rem circumscribendi ratio est, qua Dominus poenam, quam hominibus infligere constituit, potionem nuncupat.

XII.

Ceterum non putandum est, ac si atrocia haec mala, quae DEUS per prophetam Israeliticae minatur Ecclesiae, sub Hierosolymorum nomine adumbratae, perpetua futura, nec finem unquam habitura sint. Nam postquam populus per tyrannorum oppressiones afflictus plurimum atque agitatus fuerat, eundem denuo erigendum ac instaurandum, esse, indulgentissimum Numen, pro infinita sua bonitate, per verba : קומי רושלוּת התעורי התעורי . Et sane efficacissima est, per quam negotium hoc confidere studet, paraenesis, dum cum notione, quam non simplici, sed iterata vice adhibet, idem statim auspicatur. Est vero חעררי secunda pers. fem. Imp. in Hithp., cuius radix שׁר est, sufficere, excitare, item evigilare, expurgari. Hoc enim verbum, quod aliqui Neutrume est, quotiescumque cum Accusativo construitur, Transfixivum evadit. CHALDAEUS sane vim vocis plane hic assequutus esse videtur, quando per אָזְרָכָא efferte, pristinos cape honores, solitumque decus Tibimet vendica, interpretatur. Ex istius enim mente sensus verborum hoc fere redit : O Israel, (qui hucusque ex Ps. CXXIX, i. saepe אַרְנוּ מִנְעוּרִי , recordare, tempus propediem futurum esse, quo pristinum felicitatis Tuae statum recuperabis. Prae SYRO cu-

jus ^ج ab Ebraico, ^{הַתְעוּרִי}, vix quicquam di-
 stat, laudem meretur ARABS, quando per ^{وَجْهِ الْكُلُوبِ}
 in sensum prioris penetrare quadam tenus annis est.
 Cum enim Radix ^{جَذْبَرٌ} proprie significet rem, quae
 oblivioni jam tradita est, in memoriam fibi revocare, pro-
 num est, ut credamus, Dominum, promissiones, to-
 ties de liberatione ex captivitate Babylonica datas, Is-
 raeli in memoriam revocare, insimulque hortari e-
 undem voluisse, ne animo adeo depresso, atque tre-
 pido, amplius incederet. Hoc vero, ut majori cum
 emphasi Interpres adumbret, Conjug. VIII. ^{عَلَيْكُمْ} in
 subsidium vocat, quae, ex Lexicographorum consensu,
 e somno evigilare significat, & ita omnino compara-
 ta est, ut nostro in primis themati commode adap-
 tari queat. Haec vero cuncta, qui aequa secum
 lance paululum perpendit, haud gravatim nobis
 largierunt, quod hujus phraseologiae emphasis, quas-
 cunque alias Ciceronis, Demosthenis, reliquorum, quos
 Gentium aetas stupuit, loquendi rationes nitidissi-
 mas, multis post se parasangis relinquat. Quid?
 quod, si modo impii, atque malesani, paginarum sa-
 crarum carptores vel in hoc nostrum oraculum,
 tanquam in speculum quoddam, intueri velint, cre-
 diderim, eos tandem aliquando sanctum, sapientem
 que, in quo πᾶσα πληροφορία τῆς σοφίας esse debuit,
 auctorem esse cognituros. Non autem contentus
 erat vigil Israëlis benignissimus, repetita vice, exclamasse
^{קָדוֹם} ^{הַתְעוּרִי}, sed insuper quoque addit:
 surge, vel, ut LXX vertunt, ^{אָזֶנְדֵּי}, eleva, erige,
 reparare, instaura Te. Voci enim & clamori, quo in-
 tensissimo

tensissimo usus fuerat, manum quasi superaddit,
Dens, qua verum quodlibet Ecclesiae membrum ap-
prehendat, squaloreque ipsi sit fidissimus, ut, post-
quam per varia multum fata circumactus fuisset,
propositum sibi omnis miseriae calicem funditus,
& ad ultimam usque guttam, evacuasset, lapsum,
& culpam suam, agnovisset, & ita ex alto quodam
quasi somno iterum evigilasset, alacris quasi in pedes
iterum se conjiciat, animum reassumat, & inter-
benignioris fortunae amplexus, tranquille, & cum
gaudio, cunctis superatis hostibus, vitam deni-
que reddat.

VIRO

PLVRIMVM REVERENDO, CLARISSIMOQVE,
DN. PETRO VVOELDIKIO,

Antistiti apud Sommerstadienses
 vigilantissimo,

Fautor, et Amico, suo optimo

S. P. D.

P R A E S E S.

SEx integri, et quod excurrit, effluxerunt,
 anni, ex quo **FILIUS TULLUS**, natu maxi-
 mus, qui nunc primarii munere Antistitis
 Helsingorae, Urbe ad fretum Danicum cum
 portu, sic sat istuto, \S clauso, sita, cum ma-
 gna nominis fama perfungitur, non sub meo
 tantummodo praesidio, de Nergal Cuthaeo-

D 3 rum

rum, sed sub aliorum quoque Doctorum mode-
ramine, de uno, et item altero, pererudito ar-
gumento in alma, nostra Leucorea, publice di-
sputavit. Premit nunc laudatissima Fratris
vestigia haud infelix paternae, fraternaeque,
gloriae aemulus, **FILIUS TULLS**, natu tertius
us, quando de Irae **E** Tremoris Calice,
disquisitionem instituturus, me similiter du-
ce, cathedram ingreditur, ac luculentum quod-
dam elegantioris, **E** doctrinae, **E** ingenii, spe-
cimen edere conatur. Nequaquam sane spes
E expectatio, quam de illo concepisti, ulla-
in parte TE frustrabitur, postquam non in
TVO solum, quod Sommerstedii, cuius Ec-
clesiae praesul es, multorum induitius precibus,
ut ut non sine difficultate, multis abhinc annis,
constituisti, Lycaeum, sed **E** hic Vitembergae,
domesticamea, per duos annos, usus confve-
tudine, Musis sedulo semper, **E** cum cura,
operatus est. Accedit, quod mores ejus re-
cti, incorrupti, **E** ad omnem modestiam com-
positi, Patribus aequa ac Commilitonibus, se-
se mirifice commendent, eosdem in amorem sui
sponte quasi trahant, omniumque studia, vo-
lunta-

tuntatesque, hanc immerito sibi conjungant.
TU vero Pl. Reverende Vir, quem alma no-
stra studiorum mater, ex Batavis, Anglisque,
reversum, gremio suo exceptit, benigneque per
aliquid tempus forvit, favorem, quo summope-
re Eandem complectenter, constanter serva, e-
jusque famam, meritorum Tuorum amplitudi-
ne, sustenta. Ita enim futurum est, ut nunquam
doctrinæ Tuae alumnis desint Athenae,
ad quas, ex Scholis dimissi Tuis tuto configi-
ant, nec fidi praeceptores, quorum ope, & con-
silio, scientiam locupletare, & metam, quam
respiciunt, ex-voto, & animi sententia, conse-
qui possint. Ego interim DEUM precor,
immortalem, ut quo numerosior TIBI proles,
eademque mascula, est, eomajora in dies incre-
menta domus Tua capiat, & successu tetapo-
ris ita succrescat, ut utraque habeat Respu-
blica, de quo impensis libimet gratuletur. Cum
Etia insuper, eademque saluberrima, animi Tui
destinata, & consilia, ac sigillatim quidem li-
berale istud, quod a sanctis TIBI laboribus est
relicnum, quodque formandæ juventuti uni-
ce consecras, otium, bene & feliciter idem Nu-
men

men sanctissimum cedere TIBI jubeat, & in-
gruentem senectam, quae per se morbus esse
putatur, per clementer fulciat, novisque sub-
inde nominis, fortunarumque, accessionibus
coronet. Ceterum ut trigae filiorum Tu-
orum, quos eo, quo ex natrualitatis lege gaude-
bant, ordine, superiori ad nos tempore able-
gasti, sollicitam semper in se suscepit curam,
Academia, ita non in posterum tantum in-
PETRO hoc Tu olerius ornando tota oc-
cupabitur, sed quatuor etiam reliquos, quos si-
militer DÉO, & literis, unice dicasti, quam-
primum compos eorundem facta fuerit, susci-
piet lubenter, susceptosque cumulate ornabit.
Ita bene vale, & de foecundiori, eademque
laetissima, messe, quam tanto cum sudore,
tantoque facultatum Tuarum detimento,
addo etiam, tot inter molestias, difficultates-
que, serae destinas posteritati, optime spera.

Scrib. Wittenb. d. IV. Eid. Febr. A.R.S.

cl 12CCXIV.

• (O) •

01 A 6633



56.

DA



B.I.G.

Farbkarte #13



61.

בשנת

DISPVATATIO PHILOLOGICA,

De

כוס חמה וחתרת צללה
Sive
IRAE ET TREMORIS CALICE,

Quam

Ad illustrandum Jesa. LI, 17.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,

PRINCIPE REGIO ET ELECTORATVS
SAXONICI HEREDE,

S V B P R A E S I D I O

IOANNIS CHRISTOPHORI
VVICHMANNSHAVSEN,

Linguarum Orientalium Prof. Publ. Facult. Philos.
Senioris, & h. t. Decani,

Ad Diem X. Februarii, eis id CC XIV.

Publice defendendam suscipit

P E T R V S V V O E L D I K E ,
Hatterslebia-Cimber.

VITEMBERGAE,

EX OFFICINA CHRISTIANI SCHROEDERI, ACAD. TYPOGR.

